

No. 25. 1046. 2. Juli.

K. Heinrich III. eignet der Stiftskirche zum Vortheil des Capitels die vormalige Besetzung einer gewissen Irmengard im Hassegau in der Grafschaft des Grafen Teti.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam praesentibus, qualiter nos pro divina contemplatione animarumque parentum nostrorum redemptione, tum ob utriusque vitae perpetuam felicitatem nostrae videlicet et Agnetis reginae nostrae confectionis dilectae, sanctae Misnensi ecclesiae in honore sancti Johannis evangelistae sanctique Donati martyris constructae, necnon fratribus inibi deo servientibus ad complendum scilicet eorum stipendiarium victum tale praedium, quale Irmingart in loco Liuterstat^{a)} dicto obtinuit in nostrum ius atque dominium hereditario iure redactum, situm in pago Hassega dicto et in comitatu comitis Teti, in proprium tradidimus cum omnibus suis appenditiis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, agris, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus et redditibus, viis et inviis, quaesitis et inquirendis cum omni utilitate, quae ullo modo ad usum fratrum poterit provenire inde, ea videlicet ratione, ut praepositus et ceteri praefatae sedis canonici ita libere praedicta teneant bona, ne episcopus ullam potestatem habeat aliquid ad suum usum aut servitium inde tollendi vel usurpandi, aut ulli hominum in beneficium dandi vel praestandi, sed tantummodo ad usum et utilitatem fratrum potestatem habeat, prout melius potuerit disponendi vel ordinandi. Et ut haec nostra regia auctoritas stabilis et inconversa per succedentium momenta temporum maneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria, ut infra poterit videri, corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domini Henrici tertii (L. M.) regis invictissimi. (L. S.)

Theodericus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovi.

Data VI. Non. Julii anno dominicae incarnationis M. XL. VI. indict. XIII., anno autem domni Henrici tertii, ordinationis eius XVIII., regni vero VIII. Actum Missenae in dei nomine feliciter amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit wohlerhaltenem Siegel.
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 14.

a) Lüderstädt bei Nebra im Kreise Querfurt.

No. 26. 1046. 2. Juli.

K. Heinrich III. verleiht der Stiftskirche zum Vortheil des Capitels das in drei Ortschaften bestehende Gut einer verstorbenen Irmingard im Suabengau in der Grafschaft des Grafen Esicho.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Si locis deo dicatis iuxta petitiones dei servorum liberale beneficium de nostra habundanti copia conferimus, et ad aeternam obtinendam vitam et ad temporalem feliciter transigendam nobis profuturum esse liquido credimus. Quapropter notum esse volumus